

jucunditas rursus spectetur vel in conversatione seria, vel in conversatione jocosa; hinc in universū tres emergunt virtutes conversationis moderatrices; veritas nempe seu veracitas, quæ verum, comitas, quæ jucundum in seria, & Urbanitas, quæ jucundum in jocosa conversatione respicit.

§. II. *Comitas* apud Græcos propriō caret nomine, propter affinitatem autem & cognationem ab *Aristot. 2. Ethic. c. 7*, metonymicè appellatur *Φιλία*, quia amicitiam adquiret & cōciliat animos hominū. *Difficile enim est*, inquit Cicero 2. *Offic. Quantopere animos hominum comitas affabilitasq; sermonis conciliet*. Ab amicitia verò differt multis modis: (1.) hæc cum affectu & amore semper conjuncta; *Comitas* non item: *Affabilis* enim delectat & offendit, nō quia amat aut odit, sed quia *τὸ ἴδιον* i. e. eō præditus ingenio, ut in congressionibus omnia dicta & facta vel suavitate quadam condiat, vel acerbitate justā quasi pipere quōdam & sale mordicante perspergit. (2.) *Affabilis* ergā omnes tam notos quā ignotos, tam familiares, quām exteros, æquè facilem se præbet & officiosū; sed ita tamē ut apud singulos oportet. *Amicitia* verò pauculorum est. (3.) *Comitas* est habitus; *Amicitia* autem est adfectus.

§. III. Alias Græcis appellatur *ἐπιχαρεία, εὐπρεσθηγορία Φιλοπρεσθηγορί*. Latinis autem *Humanitas*, (quā de voce *Gellius, lib. 13, c. 15.*) Quia maximè hominem decet, se humaniter comiter & officiosè ergā alios gerere; ut *Titus Imperator*, nihil cuiquam petenti denegabat, rogatus ab amico, an tanti esset imperium, ut omnia præstare posset? Neminem inquit, oportet à conspectu Principis tristem abire. *Suet. Familiaritas*; quia familiares & Amicos efficit, conservat, decet, exornat, ut *Epaminondas*, de foro non discedendum dicebat, nisi quis quempiam sibi fecis-